

DE STATU & APPARITION. POST MORTEM. 613
in hâc vitâ præcedentia: solus enim status hujus vitæ
est status merendi, sed altera vita est status etiam impe-
trandi non tantum aliis sed etiam sibi videlicet gloriam
Corporis.

Nec obstat: Quod jam præmium acceperint; quia
etiam accepto adæquato præmio suorum meritorum
nihilominus manent amici Dei, & ut tales beneficia
à Deo nobis impetrare possunt.

DISPUTATIO LII.

De resurrectione & extremo iudicio.

Quia in hâc vitâ Corpus fuit quasi instrumentum
animæ ad merendum vel demerendum, & hinc
particeps laborum & afflictionum vel econtra vo-
luptatum illicitarum, hinc etiam animæ in or-
dine ad præmium vel pœnam sociabitur, undè cum
priori disputat. animam à corpore separatam ejusque
statum consideraverimus, in hâc & sequenti disputatione
statum reunionis animæ cum corpore expende-
mus.

QUÆSTIO I.

De signis iudicij & conflagratione mundi.

DICO I. Adventum Christi ad iudicium vensem
tis multa signa præcedent, ut corda hominum
in subjectionem venturi iudicis adducantur, & ad iu-
dicium præparentur huiusmodi signis præmoniti. S. Th.
in suppl. Q. 73. a. 1. O.

Probatur: Ex illo Lucæ 21. Erunt signa in sole & luna
& stellis & in terris pressura &c. & iunc videbunt Filiū

hominis venientem in nube &c signa autem hæc ex doctrinâ Ecclesiæ & SS. PP. sunt sequentia.

Primum signum ponitur adventus Antechristi; erit autem Antichristus non Dæmon incarnatus: cum hoc impossibile sit, sed certus quidam & singularis homo Christi hostis infensissimus, probabiliiter nasciturus ex impuro concubitu ex tribu Dan, quæ propterea censeretur omissa Apocalyp. 7. ubi ex omni tribu Filiorum Istaël dicuntur duodecim millia signati, de quo etiam aliqui Propheticè dictum putant à Jacob Gen. 49. *Fiat Dan coluber in viâ, cerastes in semitâ, tantæ ab infantiâ erit malitiæ, ut à Dæmone sit totaliter possessus, ut propte omnem ejus afflatum suscipiens, statim incipiet destruere doctrinam Christi statuens in templo suam imaginem, de quâ Matth. 24. sibique curabit offerri sacrificium, doctrinamque suam suadebit magnâ eloquentiâ & sapientiâ, largitione divitiarum, quas probabiliiter ex diabolica latentium thesaurorum & minera- lium ostensione acquiret, terroribus & minis & falsis prodigiis & miraculis, habebitque Pseudo-Prophetam de quo Apocalyp. 13. Vidi aliam bestiam ascendentem de terrâ, licet sit futurus de vilissimâ origine, per ty- rannidem tamen regnorum multitudo ei subjicietur, & crudelissimè Ecclesiam persequetur, non tamen eandem extinguet; regnabit autem per tres annos cum dimidio. Demum omnes actiones Christi imitaturus postquam se finxerit mortuum & resurrexisse, quasi in cœlum ascensurus dæmonum ope sublevabitur, sed splendore quodam quasi fulgure è cœlo & imperio Christi forte etiam Archangeli Michaelis ministerio, de- jicietur cum confusione; postquam Antichristus fuerit pleno regno potitus, Spiritu quodam divino prædica- bunt Enoch & Elias, qui Dei natu Jerosolymis con- venientes occidentur, quorum corpora tribus diebus*

cum

DE RESURRECTIONE & EXTREMO JUDICIO. 615
cum dimidio jacebunt in plateis, postea resuscitabuntur.

Secundum signum est, quod continget in sole & lunâ & stellis, quæ obscurabuntur & lumine privabuntur vel simul vel diversis temporibus. Et in hoc sensu stellæ de cœlo cadent, non quod reverâ de cœlo sint casuræ aut destruendæ, cum sint corpora incorruptibilia, nec oporteat miracula multiplicare sine necessitate, sed tum quod obscuratæ viventibus non apparetur, tum quod ignitæ exhalationes stellis similes de cœlo aëreo extraordinario modo in terram emittentur.

Tertium signum ponit potest conversio Judæorum, de quâ intelligitur illud Mar. 9. v. 11. Elias cum venerit primò restituet omnia sive ut loquitur Eccl. 48. v. 10. tribus Jacob & Os. 3. Dies multos sedebunt Filii Israël sine rege & sine principe & sine sacrificio & sine altari & sine Ephod & sine Theraphim & post hæc revertentur Filii Israël & querent Dominum Deum suum quem locum S. Aug. lib. 18. de civit. Dei cap. 28. expavit de conversione Judæorum ante diem judicii, addens lib. 20. de civit. Dei cap. 29. Per hanc Eliam magnum mirabilemque Prophetam exposita sibi lege ultimo tempore ante judicium, Iudaos in Christum verum id est in Christum nostrum esse credituros, celebrimum est in sermonibus, cordibusque fidelium.

Dices: Judæi prædicuntur nunquam convertendi Os. enim 1. vocantur absque misericordiâ. Ps. 68. perpetua ipsis optatur obscuratio & incurvatio Matth. 24. comparantur ficalneæ nunquam fructum laturæ 1. Thessal. 2. Pervenit ira Dei super illos usque in finem.

Bx. Hos aliosque textus explicandos esse vel de pœnis temporalibus, à quibus temporibus, pro quibus erant Prophetæ, Judæi non erant liberandi, vel quod longissimo tempore nullum conversionis fructum

essent daturi, licet tandem ad prædicationem Eliæ essent convertendi, vel quod nunquam omnes tribus Israel in priorem statum sint restituendi.

Quartum est apparitio Crucis vel verè vel per splendidam aliquam reverberationem in imagine apparentis.

DICO 2. Conflagratio quoad purgationem mundi judicium precedet, sed quoad aliquem actum, qui scilicet est involvere malos, judicium sequetur. S. Th. in suppl. Q. 74. a. 7. O.

Hanc conclusionem probant. 1. Varii script. textus Ps. 49. Ignis in conspectu ejus exardescet Ps. 96. Ignis ante ipsum precedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus Is. 66. Ecce Dominus in igne veniet Joel. 2. Ante faciem ejus ignis vorans 1. Cor. 3. Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur. 2. Petr. 3. Adveniet dies Domini ut fur: in quo cali magno imperio transient, elementa vero calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur.

3. Meminit hujus ignis conflagrantis Ecclesia in officio defunctorum alloquens Christum: Qui ventus rus es judicare vivos & mortuos & saeculum per ignem.

3. S. Aug. lib. 20. de civit. Dei cap. 16. de hoc igne ita discurrat. Tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvii. Ex quibus inferitur: quod sicut olim tempore diluvii mundus per peccatum corruptus purgatus fuit aquâ, ita ante extremum judicii diem purgabitur per ignem elementarem, per quem omnes impuritates aliis elementis permixtæ exurentur, ipsa autem elementa non consumentur, sed tantum ab infectione, quam ex peccatis hominum contrixerunt, & ab impuritate, quæ in eis per actionem & passionem mutuam accidit, purgabuntur, non quidem

DE RESURRECTIONE & EXTREMO JUDICIO. 617

in se totis, sed usque ad illud spatum, ad quod aquæ diluvii ascenderunt, quæ altissimos montes transcederunt, videlicet usque ad medium aëris interstitium, hoc igne etiam ii, qui adhuc vivi reperiuntur, & pœnas aliquas luendas habent, purgabuntur, & quantum ad hæc judicium antecedet conflagratio ignis; sed idem ignis etiam exequetur sententiam judicis damnatorum corpora involvendo, & in infernum æternum crucienda raptando, & quantum ad hoc judicium subsequetur, ut patet.

QUESTIO II.

De Resurrectionis causâ, modo, tempore, & termino.

Homines à morte resurrectos contra Sadduceos aliosque hæreticos resurrectionem negantes aper-tissimè sacra scriptura locis innumeris testatur è quibus sufficiat Job. 19. *Scio, quod Redemptor meus vivit, Et in novissimo die de terrâ surrecturus sum Et rursus circumdabor pelle meâ Et in carne meâ videbo Deum* & 1. Cor. 15. *Si mortui non resurgent; neque Christus resurrexit. Nunc autem Christus resurrexit, primitia dormientium. Solâ autem ratione naturali hæc cognoscinon potest: cum res semel destructa solius Dei virtute reproduci possit, dicitur autem carnis resurrectio: quia cum homines non secundum animam sed tantum secundum corpus, quod per Synecdochen caro dicitur, moriantur, etiam secundum corpus tantum resurgunt, dicitur tamen homo resurgere: quia per reunionem animæ cum corpore idem homo, qui fuit, rursus incipit esse; de hâc igitur resurrectione suppositâ fide*

DICO I. *Resurrectio Christi dicitur causa nostra resurre-*

rectionis, non quia ipsa agat immediate resurrectionem nostram sed mediante principio suo scil. divinâ virtute, que nostram resurrectionem faciet ad similitudinem resurrectionis Christi S. Th. in suppl. Q. 76.
A. 1. ad 1.

Explicatur Conclusio: causa efficiens principalis resurrectionis est solus Deus; eandem enim animam eidem corpori reuniri excedit vires totius naturæ, ergo non potest fieri, nisi à solo Deo, cui omnes Creaturæ in Ordine ad quoscunque effectus non implicantes contradictionem obediunt; causa autem instrumentalis & principalis meritoria est humanitas Christi, ut dictum est Disput. XIII. Q. IV. Causa itidem exemplaris est resurrectio Christi: quia eo modo, quo Christus divina sua virtute proprium corpus resuscitavit, resuscitabit corpora nostra eaque configurabit corpori claritatis suæ, utetur autem ministerio Angelorum, non quoad reunionem animæ ad corpus: quia hæc est opus solius Dei, sed quantum ad collutionem cinerum & similia, quia secundum Apostolum I. Thessal. 4. Dominus in iussu & in voce Archangeli & in Tubâ Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi.

DICO 2. In resurrectione... quod fiet virtute divinâ immediate, fiet subito S. Th. in suppl. Q. 77.
A. 4 O.

Explicatur & probatur Conclusio: vel in resurrectione attenditur illud, quod fit ministerio Angelorum, & hoc fiet quidem in tempore, sed brevissimo & imperceptibili, ob summam Angelorum in operando velocitatem: cum agant per intellectum & voluntatem res localiter movendo, consequenter hoc non fiet subito, id est in unico instanti, fiet tamen citissime; vel attenditur ipsa animæ cum corpore reunio, & hæc

DE RESURRECTIONE & EXTREMO JUDICIO. 619
& hæc fiet in instanti, sicut prima hominis generatio
fiet in instanti, ergo resurrectio fiet subitò.

DICO 3. Naturali ratione tempus, quod erit
usque ad resurrectionem, numerari non potest, simili-
ter etiam per revelationem haberi non potest S. Th. in
suppl. Q. 77. A. 2. O.

Explicatur Conclusio: Certum quidem est hanc re-
surrectionem futuram circà finem mundi, quando
motus cœlorum quiesceret Job enim cap. 19. dicit quod
in novissimo die surrecturus sit Et Christus Matth.
13. comparat resurrectionem messi; messis vero con-
summatio saeculi est & Joan. 6. de eo, qui credit in se
dicit: ego resuscitabo eum in novissimo die; sed quando
hoc erit, quot adhuc anni restent, antequam mundi
finis adsit, omnino incertum est, cum nec ex causis
naturalibus nullam habentibus cum determinato ali-
quo tempore connexionem, nec ex revelatione divina
nobis id constet, de die enim illa nemo scit neque An-
geli in cœlo Matth. 24. Hinc quæ de hoc tempore ad-
feruntur, incerta sunt, similiter incerta est dies & ho-
ra. Probabiliter judicat S. Th. Quod resurrectio erit
quasi in crepusculo Sole existente in Oriente & Luna
in Occidente, quia in tali dispositione Sol & Luna cre-
duntur esse creata, ut sic eorum circulatio complea-
tur penitus per redditum ad idem punctum, unde de
Christo dicitur, quod tali horâ resurrexit ita S. Doctor
hic Q. 3.

Dices: Christus dicitur venisse in medio anno-
rum, ergo tot anni restant post ejus adventum, an-
tequam sit resurrectio, quot ejus adventum præces-
serunt.

R. Medium annorum in quo Christus advenit,
non mathematicè accipitur, sed moraliter, inquantum
neque statim à principio post peccatum venit, neque
Adventum suum usque ad finem mundi distulit. Et
quod

quod adfertur ex Cap. 12. Dan. est omnino incertum; quo sensu intelligatur: cum multi expositores quoad illa verba: *beatus qui expectat & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*, id est: ad quadraginta quinque dies post triennium & sex menses, quibus durabit Antichristi persecutio, dubitent: an dies illi sint vulgares, & dato quod sint tales, non inde sequitur, post eos secuturam resurrectionem & judicium.

DICO 4. *Omnes morientur & à morte resurgent*
S. Th. in suppl. Q. 78. A. 1. O.

Probatur: ex sacrâ Script. Ps. 88. *Quis est homo qui vivet & non videbit mortem* Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori.* Deinde qui sunt vivificandi per Christum debent fuisse mortui, atqui absolute omnes dicuntur vivificandi per Christum 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Ergo terminus à quo omnium resurrectionis erit mors.

Congruentia S. Th. 1. est: quia magis concordat divinæ justitiæ, quæ naturam humanam pro peccato primi Parentis damnavit, ut omnes qui per actum naturæ ab eo originem ducerent, infectionem peccati originalis contraherent, & per consequens mortis debitores essent. 2. Quia resurrectio non est nisi ejus, qui cecidit, sed erit omnium resurrectio, ergo & omnes per mortem cederunt. 3. In naturalibus corrupta non reducuntur in suam novitatem, nisi per corruptionem, sic ex aceto non fit vinum nisi corrupto aceto & in humorem vitis transiente.

Obj. Aliqui judicandi erunt vivi: quia Christus dicitur judicaturus vivos & mortuos, non tempore judicii, quia tunc omnes erunt vivi, ergo immedieate ante judicium & consequenter non omnes à mortuis resurgent. Deinde Apost. cum 1. Thessal. 4. dixi-

sec

De RESURRECTIONE & EXTREMO JUDICIO. 621
set: mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.
Subiungit: Deinde nos, qui vivimus, qui relinqui-
mur, simul rapiemur cum illis.

¶. Vel per vivos intelligi beatos, & per mortuos
damnatos, vel vivos dici, non quod ante judicium
non sint morituri, sed quod vivi erunt illo determina-
to tempore, quando signa judicii incipient apparere,
attamen ante diem judicii sint morituri, vel in raptu, vel
per conflagrationem ignis, neque dicit Apost. quod
mortui in Christo sint prius resurrecti, antequam
alii resurgent, sed antequam alii rapiantur obviam
Christo.

QUÆSTIO III.

De qualitate & identitate resurgentis & inte-
gritate.

DICO I. Sicut resurgent homines in diversis
staturis ita in diversis sexibus S. Th. in suppl.
Q. 81. A. 3. O.

Explicatur Conclusio: sicut Deus humanam natu-
ram absque defectu instituit, ita absque defectu repa-
rabit, unde homines resurgent in ætate juvenili: id
est: in tali perfectione, ad quam naturaliter perve-
nissent, si natura terminum sui incrementi attigisset,
sicut autem natura in omnibus non eundem terminum
attigisset, si nullus in ea defectus fuisset, sed diversum:
cum diversa in diversis sit proportio caloris extendentis
& humidi extensibilis, ita nec à Deo natura humana in
eadem statura reparabitur, sed in diversis, cum hæc di-
versitas ad perfectionem universi conducat, similiter erit
diversitas sexuum: cum hæc competat perfectioni spe-
ciei, unde sicut Deus primò produxit homines in di-
verso sexu videt Adamum & Eym, ita & eosdem in
diverso

diverso sexu reparabit : quia tamen tunc aberit omnis libido incitans ad turpia , hinc talis sexuum diversitas nullum pudorem & confusionem generabit.

Obj. Ephes. 4. dicitur : *Donec omnes occurramus... in virum perfectum* ; ergo non erit nisi sexus virilis.

R. Textum esse intelligendum non quoad sexum, sed quoad virtutem animi , quæ erit in omnibus viris & mulieribus sine differentia proveniente ex majore vel minore perfectione sexus, sed solum ex præcedentibus vitæ meritis.

DICO 2. Oportet , quod idem homo numero resurgat S. Th. in suppl. Q. 79. A. 2. O.

Probatur ex Jobi 19. Rursum circumdabor pelle meâ & in carne mea video Deum , ego ipse & non aliis.

Ratio est: quia homo resurget , ut vel recipiat præmia meritorum vel pœnas luat demeritorum ; atqui nisi idem homo resurgeret , idem non reciperet præmia meritorum , nec lueret pœnas demeritorum ; ergo.

Obj. Idem homo constat eadem materiâ & formâ ; sed non reddit eadem materia & forma ; ergo. Probatur mihi. eadem materia potest pertinere ad diversos homines , ut contingit in antropophagis , qui humanâ carne vescuntur , tunc enim illa materia, quæ prius fuit unius, per aggenerationem fit alterius.

R. In hoc casu uni reddendam esse materiam quam prius habuit , & alteri eam , quam calore naturali deperdidit , nec permittebat divina providentia , ut eadem indivisibilis materia pertineat ad duos : ut v.g. si quis aleretur infante statim nato , nec aliam materiam in suam substantiam converteret , licet enim hoc abso-

lutè

DE RESURRECTIONE & EXTREMÓ JUDICIO. 523

Iure sit possibile, tamen supposito, quod Deus eundem hominem resuscitare velit, nunquam fiet.

DICO 3. Oportet, quod omnia membra, quae nunc sunt in corpore hominis, in resurrectione reparantur S. Th. in suppl. Q. 80. A. 1. O.

Probatur 3. corpus debet perfectè correspondere animæ, ita ut tales habeat dispositiones, quales anima exigit, sed anima exigit omnia membra 3; pro hac vita quidem, ut habeat debitas operationes; quia tamen pro altera vita operationes animæ vegetativæ cessabunt, exigit omnia membra, ut in sua specie corpus & anima sint perfecta. Hinc

1. in corpore intestina sed plena non turbibus superfuitatibus sed nobilibus humoribus,

2. dō erunt non tantum illæ partes, quæ requiruntur ad operationes exequendas 3; ut cor, hepar, manus & pedes, sed etiam illæ quæ tum ad ornatum tum ad custodiam aliarum partium ordinatae sunt ut capilli, unguis, tum etiam quæ generaliter ad perfectionem humanæ naturæ pertinent ut humores,

3. id totum hoc in corpore humano erit, quod est de veritate humanæ naturæ 3; hoc est: sine quo homo esset imperfectus, sed non totum hoc, quod materialiter pertinuit ad hominem vel tota materia, quæ per totam vitam in corpore humano aliquando fuit informata anima rationali: quia hoc superfluum & abundans esset, consequenter non perfectionem sed imperfectionem tribueret.

Q U Ä S T I O IV.

De iudicio generali.

DICO iudicium universale necessarium erit S. Th. in suppl. Q. 88. A. 1; ad 3.

Explicatur conclusio: erit quidem statim post mortem cuiuslibet hominis particulare iudicium, quo opera hominis discutentur, hoc est: anima statim intelliget omnia opera totius vitæ, & per intellectum.

III. Partis Theol. Schol. suppl. R. 1. Etua-

& tualem quandam locutionem vel illuminationem cognoscet se à Christo judicari & ejus imperio vel salvari vel damnari, & hoc est præsentari ante tribunal Judicis, ipsumque Christum ad unumquemque in morte venire, non per motum localem, sed per efficaciam, quâ fieri ut anima statum suum cognoscat & imperium Judicis, & ex vi illius statim tendat ad locum meritis suis debitum, de quo Disput. præced.

Præter hoc judicium particolare necessarium erit judicium universale ob has congruentias.

Prima est ex parte hominis : quia licet homo ex parte justitiae divinæ in judicio particulare secundum animam sententiam damnationis vel salutis acceperit, non tamen secundum corpus præmium vel pœnam recepit, sed illud revertitur in terram; ergo ut integer homo vel puniatur vel præmietur, congruum fuit, ut etiam integer homo judicetur, quod fieri in judicio particulare.

Secunda est ex parte providentiae & justitiae divinæ, quæ, cum ob occultos fines sæpè affligat in hoc mundo bonos, & impios prosperari permittat, hinc de eâ quidam male sentiunt in hâc vitâ, ut ergo Deus glorificetur, & omnes intelligent, ad majorem gloriam iustorum cedere modum, quo Deus se erga illos gessit, constituit diem universalis judicii, quo toti in mundo hoc manifestum evadat.

Tertia est ex parte Christi, qui in primo Adventu ab omnibus fuit reprobatus & nunc usque blasphematus ab infidelibus & malis Christianis; sed in hoc secundo adventu coram cœlo, mundo, inferno agnoscetur & timebitur ab omnibus, undè Christus erit Iudex, cum enim mundus judicabitur & in hoc judicio fieri finalis & completa retributio meritorum & punitio peccatorum, ille convenientissimè mundum judicabit, per quem mundus redemptus est, videlicet Christus non modo secundum divinitatem sed etiam secundum

humani

DE RESURRECTIONE & EXTREMO JUDICIO. 625

humanitatem, in quā visibilis apparebit, sunt & alii cum Christo judicaturi, specialiter, qui voluntariā paupertate mundana omnia contempserunt, sed non competit ipsis authoritatēe judicare, sed inquantum eminentiori loco quasi Judici assidebunt, & sententiā Judicis approbabunt, & aliis promulgabunt, judicandi autem sunt non quidem Angeli propriē quoad discussionem meritorum: quia Angeli boni sunt ex toto boni, & mali sunt ex toto mali, sed quoad retributionem, inquantum illi, quos boni ad bonum induxerunt, præmiabuntur, & quos mali ad peccata seduxerunt, punientur; sed judicabuntur omnes homines quoad retributionem præmii vel pœnæ: quia omnes recipient non tantum quoad animam, sed etiam quoad corpus tunc in mercedem operibus debitam, sed illi, qui fideles fuerunt & vel improbi vel levibus malis permixta merita habuerunt, quoad discussionem meritorum, si humano modo loquamur: in judicio enim hominum causa solum dubia dicitur judicari, inquantum indiget discussione: causa vero evidenter mala, aut palam bona non discutitur; alias simpliciter omnes esse comparituros in judicio aperte testatur Apost. Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi & in Apocal. Cap. 20.* vidit Joannes mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni. Locus hujus judicij probabiliter est futurus circa montem Oliveti in valle Josaphat juxta illud Joelis 3. *Congregabo omnes gentes & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi & act. I.* Quemadmodum vidi sis eum ascendentem in cœlum, ita veniet; descendet igitur probabiliter circa hunc locum Judex cum summa Majestate, non quidem usque ad vallem, sed ad locum aëris supra vallem, ut sit eminentiori loco & ita ab omnibus non tantum vallem Josaphat & montem Oliveti, sed etiam alia loca, quantum erit necesse, occupantibus videri possit. Tempus autem

R^t 2.

hujus

hujus Judicij àquè incertum est ac tempus futurae resurrectionis.

DISPUTATIO LIII.

De beatis & damnatis.

PLura ad hanc Disputationem pertinentia videri posse terunt tum 1. parte, ubi fusè de visione Dei, tum 1. 2. Disput. II. & Disput. XVII.

QUÆSTIO I.

De conditionibus corporum beatorum.

DICO. *Corpus humanum beatificabitur ex redundantiâ à ratione, à quâ homo est homo, in quantum erit ei subditum S. Th. in suppl. Q. 81. A. 4. ad 2.*

Explicatur & probatur Conclusio: sicut ex gratia in statu innocentiae dimanabant qualitates & dona, quibus corpus perfectè subjiciebatur animæ, & optimè dispositum erat, ut congruum esset animæ habitaculum; & in statu naturæ reparatae à gratia hujus viæ dimanant virtutes, quibus appetitus superior Deo, & appetitus inferior superiori subordinatur, ita à gloria animæ & à gratia consummata patriæ certæ quedam dotes vel physicæ vel moraliter redundabunt in corpus videlicet impassibilitas, claritas, subtilitas & agilitas ut probatur tum ex Apostolo 1. Cor. 15. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ, seminatur in infirmitate surget in virtute, seminatur corpus animale surget corpus spirituale. Est autem harum corporis gloriosi dotium ratio: quia ut sit perfectè subditum animæ glorificari et requiruntur, potest enim anima dupliciter considerari, imprimis quatenus est principium eliciendi actiones sensum tum interiorum tum exteriorum. Deinde in quantum est principium motus & quietis localis, si priumo modo consideretur, requiritur ex parte corporis debita & congrua dispositio, ut ani-

ma